10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NICOLAUS ROCHE,

Hibernus,

COLLEGII REGII CHIRURG. LOND. SOC.

NECNON

IN CLASS. REG. CHIRURG. PRIMAR.

——dum loquimur fugerit invida
Ætas: Carpe diem quam minimum credule postero.
HOR. FLACC. OD. XI.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVIII.

HONORABILI

COURTENAY BOYLE,

PRÆFECTO NAVIS IN CLASSE REGIA,

VIRO HONORANDO,

NON SOLUM OB ORIGINEM

E STIRPE NOBILI,

SED MELIUS OB VIRTUTES OMNES,

TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS,

QUÆ HOMINEM FACIUNT ET ORNANT;

HOCCE OPUSCULUM,

TESTIMONIUM QUIDEM EXIGUUM,

ANIMI SEMPER GRATE MEMORIS

BENEFICIORUM MULTORUM;

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PERITONITIDE
PUERPERARUM.

Nicolao Roche, Auctore.

DE NATURA MORBI.

Febris Puerperarum, vel potius Peritonitis Puerperarum, de qua tractare est mihi in animo, in his paginis sequentibus, materiam disceptationis et acris certaminis, medicis celeberrimis, ab Hippocrate etiam ad tempora nostra recentissima, præbuit. De causis enim et sedibus, et præcipue de hujus morbi natura, auctores minime inter sese conveniunt. Symptomata et diagnosis ejus, tam fuse, quam indeterminate et obscure, multis scriptoribus opponentibus, describuntur. Hippocrates, Galen, Celsus, et alii vetustissimi celebres, hunc, ex inflammatione uteri, vel lochiis sup-

pressis excitata, vel ex injuria quadam in ipsum uterum illata, partu difficili peracto, pendere existimabant; quæ sententia, apud medium ultimi seculi comprobata esse videbatur, Dominis ANTOINE DE JUSSIEU, DE FONTAINE, &c. Sed hæc opinio minime pro certo habenda est: quia interdum enim, lochia rite et naturaliter profluunt, et morbus tam post leniorem, quam gravissimum laborem, adoriri consuevit. MERCURIALIS, WILLIS, DOULCET et alii, suppressioni lactis, vel ejus metastasi, absurde eum attribuerunt, inter quod et materiam in abdomen effusam, analogiam æque inepte sancire conati sunt; sed hoc bene refutatur his verbis Professoris PINEL: "Car les péritonites dont périssent "les hommes, ou auxquelles les femmes succombent à toute autre époque, présentent un "épanchement dont les propriétés physiques et "chymiques sont tout-à-fait les mêmes, et certes on ne peut en accuser le lait dans ce cas *." Inter recentiores, HULM, LEAKE, et DELAROCHE, primi erant Medici, qui, rationem causarum ex inflammatione peritonei et intestinorum, explicavêre, de quo nunc vix ullus dubi-

* Nosographie Philosophique, p. 379.

tat. Contra, Doctor WALSH opinionem tenet, hanc febrem verum esse synochum vel typhum, inflammatione peritonei plus minusve diffuse extensa, complicatum. Dominis CRUICKSHANK, FORSTER, BICHAT, et PINEL, hunc morbum esse veram Peritonitidem maxime placet; dum alii haud parvi nominis febrem esse peculiarem, vel sui generis, credunt. Dominus CAPURON verum, vestigia sequens Professoris PINEL, sic scribit: "Rien de plus ab-" surde, de plus chimerique, ou de plus con-" traire à l'esprit d'analyse et d'observation, " que l'idée d'une fièvre puerperale; c'est-à-" dire, d'une fièvre essentielle, ou propre à la " femme nouvellement accouchée *." Sic etiam PINEL, "On seroit aussi fondé à dire febris " pregnantialis, febris nutritialis, febris catame-" nialis, qu'à dire febris puerperalis †." Libenter, ad istam opinionem, auctoribus supra citatis, auctoritatis GREGORII nostri celeberrimi sub tegumine tutus, prolabor. Medici etiam inter sese valde disceptant, an hic morbus contagiosus existimari debet. Nullum pro certo habemus exemplum, hunc morbum ex contagio-

* CAPURON, sur les Maladies des Femmes.

† PINEL, Nosographie Philosophique, p. 385.

ne vere propagatum esse; et quamvis Doctores Walsh, Clarke et Gordon, aliter contendunt, ex testimoniis medicorum nuperrime traditis, hoc minime probatum esse videtur, quod plane ex his verbis Doctoris Hulme apparet: "The puerperal fever is not an infec- "tious disease, any more than the iliac passion, "a pleurisy, a nephritis, or any inflammation "in any other part of the body*:" idem testatur Dominus Hey, p. 194†. Medicis sic dissentientibus, lectori aliquid proferre, quod tandem satisfaciat vix promittere possum; nihilominus fatendum est, ut in nosocomiis et aliis locis, temporibus intempestivis, hic, verisimilis epidemico et morbo contagioso, seviit; sed haud improbabile visum est hoc pendere, de quadam complicatione Peritonitidis cum febre epidemica, tunc temporis instante, vel ab immunditie, vel aëre vitiato, in conclavibus male ventilatis et arctis, ortum ducente. Porro nil dubitandum est, quin longa graviditas et parturitio dolens, constitutiones mulierum tam mutant, ut fiunt facile suscipientes morborum omnium tunc epidemice grassantium, quibus expositæ sint.

* Hulme, p. 164. † Hey on Puerperal Fever.

Febrium causas, quæ puerperas tentant, in sectiones duas, dividere nobis permittitur: Prima complectens, has omnes aliis individuis æque communes, e statu puerpero penitus alienas, viz. frigus humiditati conjunctum, caloris et frigoris vicissitudines, aëra vitiatum, immunditiem, toralia nimium superposita, miasmata vel contagium, diætam abnormiter adhibitam, potiones spirituosas incaute haustas, et denique pathemata et alias animi affectiones: in secunda classe continentur, hæ omnes statui puerpero propriæ, sicut injuriæ in uterum et partes externas generationis, inter partus difficiles, illatæ, injectiones astringentes in vaginam immissæ, fasciæ nimis arcte circa abdomen ligatæ, retentio vel putriditas lochiorum, coagula sanguinis, vel frustula placentæ, in utero retenta, et in putredinem abeuntia, applicationes acridæ mammis ad evolutionem eorum cohibendam, &c. &c. Præter propensionem constitutionis peculiarem tunc temporis, in actionem febrilem adire, ex causis supra recensitis, nec non, utero, et præcipue peritoneo inflammationem topicam suscipiendi, magna proclivitas inest; et omnes hujus generis causæ, quæ cordis et arteriarum actionem generaliter cient, etiam magis

insigniter, circulationem abdominis tam diu impeditam, excitant; unde sequitur, ut in omni fere exemplo, uteri et peritonei inflammatio oriretur, ni natura, semper sagax et providens, ejus impetum impedivisset, sanguinem exhauriendo ad finem lac et lochia suppeditandi; his deinde suppressis, et aliis causis simul agentibus, haud mirum est ut inflammationis peritonei signa, etiam hujus morbi frequenter insignissima sint. His bene animo versatis, valde mirandum est cur medici de ejus natura adeo inter sese dissentiunt; sed forsan certamen, de causis sequentibus oritur; stadium vere primum tam breve est, et huic, signa debilitatis tam cito succedunt, ut primum fere negligatur, quo facto, occasionem nunquam redituram de morbi natura judicandi amittunt; et etiam eum feliciter tractandi tempus infauste fugit; sed quibus ex causis hic morbus eveniat, vel quam diverse de ejus sede et vera natura auctores sentiant, ex descriptionibus omnium qui de hoc tractaverunt satis patet, et cadavere post mortem inspecto clarissime probatum est, Peritonitidem plus minusve diffusam existere; et cursui ejus celeri ad exitum fatalem, hujus morbi magnam et funestam stragem

oportet nos attribuere. Mihi maxime apparet, quod primi momenti res foret, nomen Febris Puerperalis penitus rejicere, et ejus loco hoc Peritonitidis Puerperarum supponere; tunc morbi descriptio et diagnosis faciliores evaderent, et juveni medico via, statim in auxilium vocandi remedia magis idonea, obstare morbo longe lateque cladem edenti, patefaceret. His jam præmissis, de morbi historia agere progredior, sed solum est mihi in animo signa ejus enumerare quæ magis constanter in conspectum veniunt, et attentionem Medici præcipue postulant.

DE SIGNIS.

Haud certum est tempus quo sese ostendere, hic morbus incipit; nonnullis enim, post partum viginti quatuor horis, raro citius, sæpissime serius, impetum facit, verum secundo plerumque vel tertio a partu die, ægra affici solet; hoc autum notatu dignum est, quod hujus accessus sæpenumero prænunciari potest ex doloribus insolitis ante partum circa abdomen torquentibus. Hæc fuit sententia percelebris Denman, et eam vidi multis exemplis ample probatam in nosoco-

mio Parisiensi dicto La Maternité. Mulieres tam facile quam laboriose partum edentes, plenas et tenues, validas et imbecillas, juniores et ad senium vergentes, indiscriminate aggreditur; sed maxime debiles et laxas partu difficili fatigatas tentare dicitur. Inprimis plerumque, rigor lenior vel gravior sentitur, calor totius corporis postea augetur; de dolore capitis acuto, frontis præsertim supra orbitas, tunc ægra conqueritur; pulsus est admodum frequens et parvus, et nunc extemplo, dolor abdominis acutus, levissima pressura plurimum auctus, adest. Abdomen tumidum et durum fit, et sæpe adeo increvit, ut molem qualis ei ante partum fuisset, ostendat; respiratio quæ in primis est crebra et anxia, nunc majus fit dolens et citata, et ex actione costarum penitus peragi apparet; maxima anxietas ægræ est, quæ optime ex vultus mœrore exprimitur. Lochia et secretio lactis fere supprimuntur, urina redditur rubra, et nonnunquam cum dolore; lingua plerumque fusca est, et alvus adstricta: Lochia tamen, interdum naturaliter, vel etiam solito uberius profluunt. Calor corporis quoque interdum haud multum augetur, et morbo progrediente diarrhœa appa-

ret. Per totum hujus mali decursum, sæpe irritabilitas magna ventriculi, et vomitus bilis viridis adsunt; si instat tussis, ut sæpe accidit, valde molesta fit, et dolorem abdominis ob musculorum ejus motus convulsivos, tussi urgente, multum excitat, adeo ut ægra fatigata vix unquam somnum carpere potest: hoc stadio morbi, arteriæ centies et vicies, vel etiam centies et quadragies, sexagesima quaque horæ parte, micant; dolor adeo excrucians fit, ut pondus toralium vix patiatur, et ægra resupina jacens, in cubile se vertere timet: ex his primum stadium constat; duratio hujus stadii morbi, pro violentia signorum variat. Sed jamjam secunda malorum cohors instat; nam his signis per aliquot tempus augendo pergentibus vel non imminutis, sæpe dolor subito cessat vel valde mitescit, et ægra infelix, spe nimis fallace elata, seipsam convalescere putat; sed hoc levamentum maxime perfidiosum est, nam vires cito deficiunt, et signa jam vere funesta ingruunt; vomitus plurimum adauctus, et liquor ejectus subniger est, et persimilis fæcibus decocti coffææ Arabicæ; dejectiones fœtidæ et nigræ, inscienter et invite redduntur; abdomen nunc flaccidum evadit, et distentio ejus

aliquatenus subsidet. Sensus ponderis et oppressionis circa præcordia sentitur, cum suspiriis imo pectore emissis, comitatus; oculi nitorem amittunt, labra et dentes sordibus obliuntur; pulsus nunc adeo debilis et tremulus, et præterea tam rapidus est, ut minime sentiri et numerari possit; extremæ partes frigescunt, totumque corpus gelidis sudoribus madescit; artus non raro convelluntur, et ægra sæpe delirat: denique spiritus ultimus trahitur, "et "sævi tandum miseræ letho finiuntur dolores." Tempus, quo hujus morbi finis lethalis accidit, æque ac accessus ejus, in incerto hæret; nam in exemplis nonnullis, horis viginti quatuor post primum ejus impetum, ægra e vivis erepta est; in aliis verum non citius septimo vel octavo die, vel etiam multo serius; sed usitatissime quarto vel quinto die, mors miseram adimit.

DIAGNOSIS.

Morbi, de quibus hunc dignoscere maxime necesse est, sunt, colica, dolores post partum orientes, febris miliaria, febris lactantium; ephemera, (*the weed*), sed præ aliis de ejus complicatione cum colica vel doloribus partui

supervenientibus. De Febre Lactea, mammis lacte distentis, duris, et tactu dolentibus, (dum in hoc nostro præter naturam flaccent), facile dijudicatur. De Colica, dolore hujus ab alia in aliam partem abdominis decedente, circa umbilicum præcipue torquente, et multum levato premendo, dum ægra raro febricitat. A Doloribus qui Partum consequuntur, quod, hi per intervalla redeunt, et ventre manu presso non acuuntur, dum etiam nulla fere pyrexia eos comitatur. In Febre Miliaria, adest odor corporis acidus, et cutis pruriens sensatio, et rigores in copiosam sudationem desinunt; cutis fit tactui aspera, et eruptio cuticularis apparens maxime valetudini prodest; dum in hoc nostro nullum levamen affert. Ephemera, febris est, exactis horis viginti quatuor vel triginti, terminans; ex horrore et rigoribus artus corripientibus, incipit; his succedunt, calor auctus, sitis urgens, aliaque signa, quæ cordis et arteriarum actionem concitatam manifestant; mox sudor profusus per totum corpus erumpens, morbum plerumque solvit; huc accedit, quod, alvo bene et tempestive soluta, vix unquam abdomen dolet; unde medicus, vel imperitus vix errare debet. Colica, vel doloribus partui

supervenientibus complicata, diagnosis difficilior et majoris momenti fit; sed natura dolorum bene observata, haud difficile dignoscuntur, quanquam signa primi stadii non admodum absimilia possint; sed tensio, tumor, et dolor abdominis excrucians et tactus impatiens, discrimen peroptato indicant; hi enim consequentes partui, non tam fixi sunt, et pressura mitigantur magisquam accuuntur, et etiam spirandi difficultate rarissime comitantur, quæ huic nostro insigniter adest. Tametsi nonnullis auctoribus cum maxima diligentia hunc morbum ex uteri inflammatione, discernere, jussi sumus; attamen, hoc mihi non valde necesse apparet; nam scire licet, hanc inflammationem ipsam non raro partem esse hujus signorum catervæ, quam Peritonitis Puerperarum sæpe complectitur; et eadem remedia, sed forsitan minus rigide, oportet nos usurpare. Nobis pro discrimine traditum est, quod in hac lochia ex toto supprimuntur, dolor violens et ardens cum sensu ponderis circa hypogastrium torquet; mingendi frequens cupiditas et difficultas adsunt; pulsus validus et durus est, et non tam velox; parietes abdominis laxiores sunt, et uterus mole auctus et durior solito,

per eos facillime sentitur; dolor etiam ad id latus, quo ægra jacet, fere percipitur, et versus ad dorsum et inguina tendit, hoc dijudicare sufficit, si distinctio necessaria sit. Inter hunc morbum et peritonitidem, haud scio aliquid discriminis; quamvis Dominus BURNS sic scribit: "It is important to distinguish this dis- "ease from simple Peritonitis, which may ge- "nerally be done by attention: In the Puer- "peral Fever, the abdominal pain is not the "most prominent symptom; there is more dis- "pondency, debility and headach, less heat "of skin, less thirst, and less flushing of the "face; in Peritonitis the pain of the belly ra- "pidly increases after it begins, and the swel- "ling increases along with it; pressure gives "very great pain; the fever is inflammatory." Iterumque, "The disease (Puerperal Fever) ap- "pears to depend on inflammation of the pe- "ritoneum, joined with the operation of some "debilitating poison, probably in most cases "more or less contagious *." Tamen confitendum est mihi, quod non videre possum, vel facilitatem, vel momentum distinctionis; præterea descriptio supra tradita, ex principiis

* BURNS's Midwifery.

tam vagis et incertis pendet, ut Medico juveni in ejus diagnosi formanda minimum auxilii præbere valeat, et signa de quibus agitur, utroque morbo accidere æque assueta sunt, tantum gradu variantia, ex quadam constitutionis idiosyncrasi, vel ex complicatione cum aliis morbis, vel ex historia ejus sumpta inter stadia plus minusve provecta. Hinc magni et fatalis erroris origo provenit, ex qua, sententiæ tam multæ, confusæ et dissentientes, de ejus natura, diagnosi et ratione medendi traduntur; sed inter omnes convenit, quod inflammatio peritonei semper manifestatur. Hæc causa est quæ vitam fœminæ maxime in periculum adducit; ideo huic obstare, mature et fortiter festinandum est.

PROGNOSIS.

Valde dolendum est, quod multo facilior fit, hujus morbi signa infausta et periculosa, quam fausta enumerare. Cæteris paribus, in nosocomiis et in urbibus frequentatis, et temporibus intempestivis, hunc maxime periculosum esse refertur; et etiam in mollioribus et irritabilioribus, quibus vires constitutionis multum imminutæ, vel in toto fractæ sunt: quanto ci-

tius post partum morbus impetum facit, tanto signa ejus vehementiora fiunt, tantoque celerior generaliter in exitum lethalem festinat; quo difficilior et crebrior respiratio sit, quo etiam majores sint dolor, tumor, et tensio abdominis, eo infaustior prognosis. Tussis, signum valde molestum est, et multum periculo addit: sed si vomitus materiæ viridis, vel fæcibus coffææ Arabicæ similis constanter adsit, alvo simul pertinaciter adstricta; si pulsus post sanguinis missionem celerior et debilior fit, si summa cutis sudore gelido et glutinoso madet, si dentes atra sorde livescunt, si spiritus admodum crebre et fœtidus trahitur, et oculi splendorem solitum amittunt, hæc omnia signa sunt pessima et prognosin infelicem nos tradere cogunt; si arteriæ citissime, enormiter et simul exiliter intremunt, si fæces graveolentes et inscienter redditæ sunt, si dolor abdominis subito cessat, si ægra minime queremonias mittit, sed supina jacens brachia et manus jactat, de ægra actum est, hæc omnia enim præcursores certissimi sunt mortis appropinquantis. Sed si contra, post venæsectionem et alvum bene solutam, vomitus et dolor capitis cessant, et pulsus fit tardior, ple-

nior et molior, si dolor, tumor, et tensio abdominis valde et gradatim decrescunt, et utroque latere ægræ decubitus facilis fit, si respiratio libera fit, et somno naturali et restoranti ægra defatigata fruitur, si lac more solito secernitur, et vultus nitorem ejus resumit, fauste prognosin reddere possumus; nihilominus in omni casu admodum caute ferri debet.

DE RATIONE MEDENDI.

Opiniones auctorum, tam variæ et discrepantes, methodis medendi æque discordantibus infeliciter originem dederunt: hi, qui lactis metastasi vel suppressioni eum tribuerunt, summis viribus, hanc secretionem iterum restituere nixi sunt; alii, morbum esse putridum, vel typhum existimantes, tonicis, antisepticis et stimulantibus, præcipue vino et cinchonæ, fidem habuere; dum alii scriptores nuperrimi juste inclyti, inflammatorium esse credentes, in eo tractando, regimine antiphlogistico admodum rigide, venæsectione et catharticis, usi sunt. Hodie quoque in Gallia, laxantibus, emeticis, enematibus repetitis, et hirudinibus abdomini admotis, fidem maxime ponunt, et morbum ineuntem feliciter sæpissi-

me tractant; dum Medicus inexpertus, inter certamina virorum, auctoritate magna pollentium, perturbatus et anceps auream occasionem ægram periculo eripiendi perdit, et hostiam ejus timiditatis eam dare animam videt. Maxime igitur Medici refert habere mente repôstum, hujus mali esse duo stadia admodum inter se variantia; primum inter horarum decem et triginta fere spatium amplectens, dolore et tumore abdominis, dolore insigni supra orbitas, respiratione crebra difficili et vomitu fellis designatum, cum pulsu tenso ex centum et decem ad centum et quadraginta sexagesima quaque horæ parte micante, et fere alvo adstricta. Stadium secundum, signis longe alienis designatur. Arteriæ exiliter et inæqualiter ex centum et quadraginta ad centum et sexaginta intremunt, dolor ventris excrucians fit, et post breve tempus, vel subito et admodum mitescit, vel omnino cessat, cutis hic illic sudore gelido madet, ægra materiam atram evomit, genæ colore circumscripto rubescunt; spiritus creberrime trahitur, et ægra supina jacens caput et brachia jactat, vires rapide deficiunt, et molle vitæ vinculum cito rumpitur. Primi stadii, spatium tam breve est, et symptomata passu adeo

celeri progrediuntur, ut statim et fortiter remedia quæ maxime valent usurpare necessarium est; itaque in primo ejus impetu ad sanguinis detractionem generalem et localem, et ad usum catharticorum cum regimine antiphlogistico oportet nos decurrere, nam maxime in ipsis principiis hæc remedia spem salutis præbent; ut his verbis testatur Doctor GORDON, (p. 92*): "If called to a patient within "twelve hours after the attack, I insisted on "bleeding the patient and promised for its "success; but if at a later period, viz. from "twelve to twenty-four hours after the at- "tack, I thought it incumbent on me to pro- "pose it as the only effectual remedy, but I "neither insisted on it, nor promised for its "success." Si a primo morbi ingressu nobis erit occasio ægram videndi intra decem vel octodecem horas, sanguis ad uncias viginti vel triginta detrahendus est, hirudines viginti vel plures statim ventri et inguinibus applicandæ sunt, fomenta calida abdomini diligenter admovenda sunt, et alvus bene et cito expurganda est catharticis, et enematibus purgantibus

* On Puerperal Fever.

et emollientibus, secundis vel tertiis horis ad plenum effectum reiteratis; et ut Dominus HEY vult, "If after six or eight hours the "pain and soreness of the abdomen are not "removed, or very much relieved, the "bleeding should be repeated, nor should a "considerable degree of faintness nor even "deliquium make us suppose that further "bleeding is unnecessary or unsafe." HEY, p. 161*. Non possumus terminos certe præscribere quantitati sanguinis hoc morbo detrahendæ. In omni casu sævitia symptomatum, levatione doloris, constitutionis ægræ natura et febrium tunc temporis grassantium, præcipue dirigi debemus; in hoc malo pulsus index est semper fallax. Statim post sanguinis detractionem, cathartica diligenter usurpanda, et ab usu eorum sedulo moderato ne quidem abstineamus per totum morbi decursum: de hoc tractans, Dominus ARMSTRONG, his verbis utitur: "It is not then bleeding and purging "simply in which I have so much confidence, "but in copious bleeding immediately succeed-"ed and diligently followed up by copious pur-

* On Puerperal Fever.

" ging, or in other words, in the powers of " these two remedies exerted on the disease at " the same time." ARM. p. 77. Enemata emollientia et fotus, sæpe multum levamenti præbent, et eo minime negligenda sunt: Doctor HAMILTON, omnibus aliis anteponit fotus aceti calidi et enemata nicotianæ tabaci. Vomitus sæpe sedabitur haustu salino inter effervescendum sumpto. Vesicatoria, si aliquid auxilii offerunt, abdomini statim post primam vel secundam venæsectionem imponi debent; sed remedia fere incerta habenda sunt, et in stadio morbi provectiore, quo vires maxime labefactæ sunt, irritationem generalem et ægræ cruciamenta adaugere tendunt; nihilominus quibusdam Medicis multum laudantur. Opium, fere anceps remedium est morbis inflammatoriis, et celeberrimo CULLENO ut axioma traditum est, ubi venæsectio necessaria, eo opium neutiquam adhibendum est. De ejus usu, his verbis scribit Dominus HEY: " I frequent-" ly tried opiates in this epidemic, but I think " never with advantage, the respite they af-" forded was but an insidious truce, and tend-" ed rather to prolong the disease." HEY, p.

164*. Attamen magno cum fructu usurpari potest forma enematis in rectum injecti, (dolore in mingendo urgente;) vel etiam forma linamenti abdomini fricati. Si tamen infeliciter prima pars hujus morbi cito passu transiverit, arte Machaonia nihil valente; vel si medicus ægram non viderit, donec stadium secundum aderit, quid spei restat? Rebus sic se habentibus, venæsectio valde exitiosa foret; cinchona, vinum et tonica, sepe, sed sine commodo, exhibita sunt. Effusione in abdomen jam facta, quibusdam admodum laudatur digitalis; de ejus usu tamen parum scio. Emetica, et vesicatoria æque inaniter adhibita sunt. In hoc statu rerum tristi, oleum terebinthinæ Domino Brennan tam strenue commendatum, experimento haud indignum esse videtur; dum simul vires, diæta blanda et nutrienti, præcipue jusculis vino et opio, refocillandæ sunt.

* Hey, on Puerperal Fever.

SECTIO CORPORIS.

Nunc mihi tradere restat, indicia quæ, inspecto cadavere inciso, usitatissime sese ostendunt; talia quæ vidi multis exemplis in nosocomio Parisiensi dicto "La Maternité." Fere, fluida subflava sero-purulenta, ex una ad tres vel quatuor libras, in abdomen effusa, observatur, nonnunquam, colore albo-subvirido, puris tenuis formam manifestans et sæpe fœtida, aliis temporibus sero lactis semi-coagulati, cum frustulis coaguli eo innatantibus et intestinis sæpe adhærentibus. Omentum fere spissatum et vasis rubris refertum apparuit, et etiam tunica externa intestinorum et peritoneum cavitatem abdominis circumambiens, membranam adventitiam superimpositam haud raro exhibuere.

Uterus, ex dimidio fere ad unum pollicem crassus, et sæpe colorem rubrum, corpore ejus inciso, ostendebat. Pars interior cui placenta adhærebat maxime granulata, et alia viscera generaliter textura sana aparuêre. In intestinis fere, prægrandis copia materiæ atræ fæcu-

lentæ, et etiam in ventriculo quantitas materiæ decocto coffææ Arabicæ versimilis, inventa fuit. Pleura quibusdam exemplis indicia inflammationis prioris præbuit, et haud infrequenter uncias nonnullas fluidæ non valde absimilis huic in cavitatem abdominis effusæ, continebat. Structura pulmonum minime mutata fuit. His, quibus cerebrum inspectum fuit, indicia inflammationis etiam sese ostenderunt: uno exemplo, tunica arachnoidea et pia mater admodum spissatæ et opacæ, et paululum fluidæ subflavæ sero-purulentæ inter eas continentes inventæ fuerunt; cerebrum ipsum præter naturam molle fuit, et vasis rubris et maculis plurimis sanguineis intersparsum.

His observationibus opusculum meum ad finem duco, in quo, si aliquod utile vel etiam aliquid novum protuli, spem meam ardentissimam antecelluit; nam huncce libellum, in arte medica adhuc rudis, in arte scribendi rudior adhuc, statutis solenniis hujus almæ Academiæ obediens composui, et nunc; clementia lectoris candidi fretus, invite et timide in lucem edo.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. l. 20.	*pro* autum	*lege* autem	
10. l. 11.	tandum	tandem	
12. l. 9.	accuuntur	acuuntur	
16. l. 1.	molior	mollior	